



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Mediolanensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67721)



## PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

**N**VMERAVIT hæc Prouincia Socios octo-  
decim supra trecentos; domicilijs omnino  
quindecim. Domus habet Professorum duas, Me-  
diolanensem & Genuensem. Collegia septem,  
Breidanum Mediolani; Genuense; Taurinense;  
Comense; Vercellense; de quo nihil acceptum;  
Montis regalis; Cremonense; Domos Probatio-  
nis duas; Aronensem & Genuensem, sed hanc,  
dum completur fabrica, feriatam. Residentias  
tres, Alexandrinam, Papiensem, Bastiensem.  
Missionem vnam, Bubianensem. Admisit in  
Societatem triginta quinque, octo emisit in  
cælum.

## DOMVS PROFES- SORVM MEDIOLANENSIS.

**H**ABITARVNT in hac domo Socij, vt mi-  
nus triginta quatuor, Sacerdotes sexdecim,  
& fratres octodecim. Auctum sacrû templi instru-  
mentum serico peripetasmate, Cruce, & lychno  
pensili argenteis. Illustrium reliquiarum nos in-  
stituit heredes Alexander Roccafocaldus nobi-  
lissimus Francus, Abbas S. Martini in Aruernis.  
Hic in Italia tam procul abfuit ab exule, quam in  
Gallia ab Episcopo. Italicam peregrinationem  
suscepit primum necessitate, dein voluntate.  
Nam

Nam reditū à propinquis impetrato, & spe opulentissimorum sacerdotiorum oblata, nunquam se ab Italia auelli passus est. Obijt Virgo vitæ anno circiter quadragesimo. Imminentis fati conscius, linteo, quo tegebatur, apprehenso, lætabatur mori se inuolutum lodicibus mutuo acceptis; tum ad Societatis nostræ sacerdotem confessarium suum, qui iacenti assidebat, conuersus, Solum, inquit, Pater Obedientiæ votum deest, vt perfectè religiosus decedam. Præbitæ aures quadringentis, qui vitam à capite repetitam per confessionem eluerunt; aliqui à rebus alienis iniuste detinendis, alij à pellicatu retracti. Religiosas familias diuersas inierunt ex nostris alumni viri aliquot, & puellæ. In summo templo per quadragesimam, dixit vnus è nostris, inaudita omnium ordinum frequentia, & fructu. Vna concio de inimicis diligendis, iniurijsque condonandis, quantopere auditores permouerit, ab exemplo, quod subijciam, quisque perpendat. Præses quidam (quæ dignitas Mediolani clara in primis habetur) cum nobilissimo Equite similtates non dissimulatas dudum gerebat. Sed cælestis preconis voce permotus, nulla suæ claritudinis habita ratione, domum adit inimici, scalisque conscensis famulum præmittit, qui Equitem in cella morantem, de suo faciat aduentu certiozem. Eques nouitate rei stupens, nuncium vel decipi, vel delirare arbitratur: cum Præses moræ impatiens, aulao ianux sublato, cubiculum ingreditur, procumbit in genua, & Ego, inquit, ipse adsum, pacemque & veniam peto de omnibus, quæ in te forsitan peccaui, tibi cumulatè satisfactorus. Tanta animi celsitudine, tamque Christiana charitate

re attonitus Eques, iacentem arctissime comple-  
ditur, atque humo frustra alleuare conatus, e-  
tiam ipse genua posuit. Tandem post mutuas la-  
chrymas affectus obsides, post humanissima, &  
officiosissima verba, æterna pace sancita, surrexe-  
runt. Eiusdem concionatoris, & aliorum etiam  
Societatis sacerdotum opera, inter multos pri-  
marios ciues conciliata gratia, quorum odia non  
sine multo sanguine restingui posse videbantur.  
Sed quæ obuia casuum similitudine satietatem  
parere possunt, sigillarim referre piget. Infestam  
focum atrox nurus veneno tollere decreuerat.  
iamque leuiores quædam pharmaca ad velandum  
scelus anui propinauerat, vltimum, & ineuitabi-  
le mox datura. Sacerdos noster, qui nunquam il-  
lam in domum pedem intulerat, occasione nes-  
cio qua, illuc venit. Ibi de more inter loquendum,  
sermone de piis rebus interponit. Iactis in incer-  
tum salubrium verborum sagittis, ad ferocis nurus  
animum Deus ipse collineauit: quæ, illico murata  
in melius voluntate, conceptum facinus sacerdoti  
caute detexit, eique suum venenum asportandum  
tradidit, contusum in pulueres adamantem; sic  
mollius feminæ rigor, qui mortem fecerat ada-  
mantinam. Vir Magistratu insignis, apud vrbis  
Gubernatorem calumniis oneratus, impostoribus  
de tam graui crimine conuictis, meritasque pœnas  
(nisi ipse pepercisset) daturis, vno è nostris depre-  
catore, & hortatore, iniuriam verbo, scriptoque  
dimisit. Hispanus miles nostro in templo rei sacræ  
interesse solitus, propter fores ipsius templi, no-  
cte intempesta ab inimico læthalem plagam accepit.  
Accitus è nostra familia confessarius, inuenit  
in impluuiio vicinæ domus saucium, in suo cruore  
natantem,

natantem,

natantem, & sensibus, animoque destitutum, ne-  
 que chirurgorum copia erat tam incommoda ho-  
 ra. Consilio igitur à necessitate capto, iacentis  
 vulnus diligenter scrutatur, quod vbi in latere sa-  
 tis amplum, & magnam vim sanguinis euergens  
 offendit, strophio in frustra conciso oppilauit.  
 Stato sanguine, & redeunte spiritu, semiuuius ille  
 vigorem, & spatium habuit ad confitendum; nec,  
 Confessione peracta, Regio Inquisitori nomen  
 homicidæ dedit, cui se diceret ignouisse. Religio-  
 sus vir sanctissima familia, quam profitebatur,  
 indignus, in nobilem Viduam cupiditatis oculos  
 adiecerat, votique summam attingere exoptans,  
 in amicitiam se tradidit leuiri feminæ, cum quo  
 lares illa communes habebat; ab hoc cum dome-  
 sticis omnibus rusticante, inuitare se in villam ad  
 animum aliquot dies oblectandum curat. Sed an-  
 tequam illuc proficiscatur, ad mulierem (quam  
 nimis facilem suæ nequitia materiem putauit)  
 literas misit: easque insuit bombycinæ telæ, hu-  
 mani cordis formam exprimenti. Mulier nihil si-  
 nistri suspicata, tanquam pium munusculum ac-  
 cepit, existimans cereum agnum, vel sanctorum  
 pulueres illo inuolucro contineri. Ancillæ curio-  
 sâ cor illud male fartum, & æquo turgidius ani-  
 maduertentes, dissuerunt. Inuenta in eo ficto cor-  
 de, quæcumque verum cor cucullati claudebat;  
 sed omnia putida, virulenta, monstrosa, vno ver-  
 bo, litteræ perditissimi nebulonis. Expalluit pu-  
 dica matrona oblata epistola perlecta, stupuitque  
 sub hispida tunica tantum coqui potuisse nefas.  
 Nec distulit cartam leuiri indicare. Ille rei con-  
 scientia dissimulata, per sygrapham monet hor-  
 ridum amatorem, ne conducta die rus veniat, inde  
 se

se subitaria occasione alio vocari. Deprehensum se bonus vir callide coniectans, ac simul metuens ne res ad cœnobij moderatores deferretur, scelus scelere vel obruere, vel cumulare decernit. Germanos fratres accersitos, ac de suo periculo edoctos rogat, vt leuirum viduę illius quamprimũ interficiant. Audacissimi iuuenes sicis vibrandis exercitati plus recipiunt, quam petebatur, gladiatoresq; nonnullos decernunt, qui in vrbem redeuntem trucidat; & actum sanè erat de capite innocentis, nisi ferale consilium ad nostrum sacerdotem confessarium eiusdem, qui ad cædem notabatur, incerto rumore venisset. Hic prudenter nefaria machinatione dissecta, ita res composuit, vt clientem suum à morte, religiosum virum ab infamia, & ab amata viduę conspectu arcuerit. Itum ad Xenodochia, & ad carceres cū insigni fructu. Curatum vt humana iustitia damnati, cū diuina in gratiam redirent, ex his vni (quem necessitatis vltimæ denuntiatio pæne emouerat mente) cacodæmon æthiopis habitu suasisit, vt piacularium globulorũ coronam, & crucem è collo pendentem abijceret, vtque alimentis ad certum tempus abstineret, quo exacto, affuturum se ad illum liberandũ spondebat. Sed imprimis seuerè edixit, ne cum sacerdotibus & religiosis viris loqueretur, neue sanctissimũ IESV nomen inuocaret. Tres dies ieiunus oculis clausis, ac veluti à sensibus abalienatus transegerat, cū sacerdos Societatis ad eum venit; qui postquam horas aliquot luctatus, clausa miseri lumina discludere non potuit, consecratã ceram, & Crucis particulam inscio superposuit. Tum vero miser ille inflari in morem vtris, contorqueri, & vlulare cœpit; vrgebat Pater, vt nomen IESV proferret;

nec

nec tamen ab obstinato eliciebat. Patientia tandem, ac sanctis precibus miser victus, tremendum inferis nomen submisso, & languido sono pronunciauit, loqui deinde, & cibum sumere potuit. Inter vescendum oculis cultrum designauit, illum haud dubie (vt mox patuit) vel in se, vel in alios conuersurus. Ferro subtracto vitreum scyphum in os iacerdotis intorsit. Ille modica capitis declinatione ictu euitato, ab insaniente I E S V nomen rursus expressit; quo veluti telo secundo confixus diabolus, ab homine infestando quieuit. Obsidione soluta respirauit damnatus, totaque vita per confessionem diligenter expurgata, mortem patientissime tulit. Aegris non deficiamus, & presentissimum leuamen experti aliqui, super quibus Euangelium D. Marci, quo Ecclesia Ascensionis die vtitur, Sacerdos noster recitauit. Congregationes nobilitate, & pietate clarent. Quæ sub Lauretanæ Virginis titulo non multo ante instituta fuit, nulli egenti misericordiæ suæ fontes patitur intercludi. Vt sane mirū videatur, tam crebris & magnis impensis vulgarium hominum, ex quibus hoc Sodalitium constat, vel crumenas, vel animos esse satis. Nimirum charitas regiam inserit pectoribus magnitudinem. Ex paucis missionibus non leuis in proximos utilitas redundauit. Confessi sunt innumeri, & plerique materiam præbuerunt totius vite, egerentibus inexhaustam. Sacerdos vnus plusquam mille trecentos audiuit. Moduëtia oppidum est in Mediolanensi ducatu clarum, & opulentum. Ibi per Aduentum concionatus vnus Societatis sacerdos, ad nobilem & frequentem studiorum coronam. Sodalitium ex primarijs oppidanis conflatum instituit,

stituit, qui omnia charitatis opera se profitentur amplecti. Egit etiam de fundanda domo ad nubiliū puellarum tutamen, donec in matrimonium collocentur: ne pulchritudo, grauem aliquam intenderet pudicitiae litem. Statim ad tam sanctum opus liberaliter suppeditata domus cum atrio, & viridario, & ad Virgines alendas ab omnibus ordinibus collata pecunia. Mos ab eodem illatus de B. Virginis litanij concinendis, sermo- neque de ipsius vita singulis sabbathi diebus habendo, communi omnium consensu, & gratulatione.

## COLLEGIUM BREIDENSE.

**V**ERSATI sunt hoc anno in Collegio Socij circiter centum. Discipulorum vel frequentia, vel profectus præteritis annis haud impar. De eorum qui in Sodalitijs Virginis ad pietatem informantur, virtute, ab vno, aut altero exemplo erit coniectura. Quidam Sodalis grauitè ab alio læsus, & vltionem meditans, Præfecti hortari aduersarij pedes osculatus, iram adhuc in pectore efferuescentem repressit, sui victor, & inimici. Alius asceticum librum, cuius quædam capita contra histrionicos ludos recitari audierat, ad fratrem comedijs assuetum detulit: quo ille perlecto, non modo scenicas turpitudines est execratus, sed etiam instituit, qua hora spectaculis interesse consueuerat, in templo Virginis sacras preces audire. Facta in triuijs ad tumultuarios auditores, bæccanaliū tempore, de rebus diu-  
nis

nis verba, salubriter multorum animos percule-  
runt. Ex iis quidam cœlestis mucronis ictu faucia-  
tus, cum noctu nec pectore, nec oculis accēpisset  
somnia; vbi primum diluxit, ad nostri sacerdotis  
pedes sollicitudinem, & peccata deposuit. Perge-  
bant in templum duo ē nostris Catechistis: illos ē  
fenestra flagitiosus quidam conspicatus, diuino  
monitu ( vt ipse deinde fatebatur ) impulsus, in  
impluuium descendit, dat se in viam, sociosque  
cito consequitur; de sacris rebus colloquia seren-  
tes incerto vultu, ac interruptis vocibus sciscita-  
tur, num euadendi spes foret ei, qui quatuor iam  
annos dæmonis cassibus impediretur. Iacentem  
nostri benigno sermone alleuant, ad peccatorum  
dolorem, ad vitam castigandam hortantur, ac  
denique lachrymis plenum, confessario soluen-  
dum tradunt. In Mediolanensi suburbio extin-  
ctus in aluo infans, matris ruinam ducturus à pe-  
ritis credebatur. sed B. P. Ignatij admotis reli-  
quiis, illico emissus partus matrem onere, dolore,  
ac periculo liberavit. Excursum in multos Me-  
diolanensis ditionis pagos. Circumlatus Iobe-  
læum cum ingenti populorum gratulatione, &  
fructu. Fama commoti mortales vndique ad nos,  
nec viarum asperitate, nec cœli iniurijs deterriti  
conueniebant, & sæpe festo campanarum sono  
nostrorum aduentum anteuertent. Sæpe qua-  
tuor vnus & idem, quotidie habuit conciones.  
Parochi, Moniales, omniumque ordinum prope-  
modum infiniti, quorum aliqui altissima vulnera  
diu compressa, nostris tanquam à cœlo delapsis  
medicis curanda pandebant. Moniales nonnullæ  
seuera paupertatis normam, nostrorum hortatu  
arripuerunt. Quidam in scelerum pœnam per  
menses

mensis aliquot singulis noctibus velut flammæ cuiusdam doloribus tam atrociter torquebatur, vt se piacularis ignis acerbiter sentire constanter afficeret. Ab huius corpore cruciatus, ab animo morbum salubris depulit confessio.

DOMVS PROFES-  
SORVM GENVENSIS.  
ET COLLEGIVM.

SVPERIORIS anni exitu in antiqui Collegij sedibus enata domus, maiora quotidie capit incumenta. Eius fundator Marcellus Pallauicinus Societatis Nostræ sacerdos sancti operis conscientia, quam fama frui. Nam matri, ac fratribus foundationis titulo adscripto, sibi meritum reseruat. Genuensis Archiepiscopus hoc anno aram maximam, in honorem Nominis IESV, cui templum dicatum est, rite inauguravit, cuncto Magistratu, & Nobilitate spectante. Nihil ad splendorem illius consecrationis defuit. Contuitum implebant duæ hinc inde aram cingentes columnæ, magnitudine, ac specie singulari. Noua erat ipsiusmet aræ suppellex & pretiosa: duo capita argentea cum pectoribus reliquiarum receptacula, Pixis ex argento, sigillata; Calix argenteus pulcherrimo opere; Sacerdotis, & altaris vestitus ex auro crispante duplici. Sodalitium Nobilium in commodiorem de nouo ædificatam sedem immigravit. Ibi par alterum columnarum visitur, quarum nigrum, ac triste lumen aureis maculis hilaratur. Senatus nostra opera in discordiis componendis vitur;

D                      duorumque

duorumque militum morti destinatorum vitam  
 nostris precibus condonauit. Eiusdem Senatus ro-  
 gatu à Patre Generali Germanus sacerdos, suorum  
 popularium militum spiritualibus commodis ad-  
 dictus, qui hic in præsidio sunt ad mille ducentos.  
 Duos Patres ætate graues, maturosque cælo, cæ-  
 lum abstulit. Prosper Malauolta Ferrariensis al-  
 ter, qui à B. Ignatio in Societatem admissus, an-  
 nos in ea vixit quinquaginta. Hic seuerus in se, &  
 communis boni semper amantissimus, post gu-  
 bernata Collegia, Domos, & Prouincias, post  
 quadragenarium stadium tricies quotidianis con-  
 cionibus emensum, emeritus equus, corporis vin-  
 culis liber, ad æterna pascua vocatus. Alter P.  
 Flamminius Commitolus Perusinus, qui annos  
 in Societate quadraginta egit, agendo simul, &  
 patiendo. Nam contra vim asthmatis perpetuo  
 luctatus, nullum refugit laborem, donec ætati, &  
 morbo succubuit.

DE Collegio Genuensi hoc tantum habemus.  
 Angustam & conductitiam domum replent So-  
 dales duodecim. Ad tres humaniorum litterarum  
 classes, & casuum lectionem, accesserunt hoc an-  
 no Logica, Mathematica, & Philosophia demo-  
 ribus, quæ nobilis iuuentutis magno ardore, &  
 frequentia celebrantur. Latandum est feruida  
 Genuensium ingenia, disciplinæ tam patienter ac-  
 quieuisse. Quæ se dant initia florentissimam pol-  
 licentur Academiam, vbi vagum Collegium am-  
 pliore, & fixa sede constiterit.

COLLE-

## COLLEGIVM TAVRINENSE, ET MISSIO BVBIANENSIS.

**A**LVI T hoc anno Collegium Taurinense socios duos supra viginti; Sacerdotes decem, Magistros tres, Coadiutores reliquos. Ambulachro domum templo conferenti, vltima manus imposita. Sacramenta ministrata, conciones habitæ cum insigni fructu. Nauata opera miseris hominibus in nosochomio, & in publica custodia; confirmati ad vltimum certamen fontes, qui crimina ex legibus capite luunt. Multorum extrema inopia coactis pecuniis releuata. Mulierculæ nonnullæ vel à flagitio, vel à periculo ereptæ. Ad huiuscemodi naufragas feminas recipiendas, institui curauimus domum, quasi asylum pudoris. Gymnasia studiorum doctrina, & nobilitate clarescunt. A pijs, ac nobilibus tum viris, tum feminis, pia æque, ac nobilia anathemata templo oblata. Pictura texilis aurea, & serica, in qua sanctorum martyrum, Solutoris, Aduentoris, & Octauij effigies visuntur; Calix, Patena, & Pyxis, omnia argentea; Aræ, & sacerdotis operantis ornamenta, argenteis filis intexta; Duo item frontalia; Damascenum vnum colore purpureo; alterum Attalicum violaceis lineis interuenientibus; Umbella Damascena alba auro fimbriata, argentoque distincta. Trecentos Philippos nobilis vir sacratio nostro legauit; Centum primaria femina ad argentea candelabra coemenda.

**E**X P L I C A T se in Alpium gremio Lucernensis vallis, alicubi locorum munimentis ita reuin-

cta, vt vix armis opprimi possit. Si agri bonitatem, & amœnitatem spectes, Paradisum dicas: Tartarum, si gentis prauitatem, atque perfidiam. Huic angulo inquinatissimæ hæresum sordes adhæserunt, Vualdi, Caluini feralia vestigia. Tantæ pesti, ne longius serpat, Missio Bubianensis in ipso Vallis ostio quasi vallus obiecta. Resident ibi duo Nostri Sacerdotes cum magna populi illius, imo totius Italiæ vtilitate. Sistunt impetum hæreticorum, quos quasi feras bestias in suis cubilibus latere compellunt: Bubianæ, & vicinis in pagis, dogmata fidei toto anno ex superiore loco inculcant. Catechesim circumferunt, fouent Catholicos, nutantes confirmant, languentia, & verbo Dei, ac Sacramentis iam desueta pectora, confessionis, & communionis frequentia modo religiosissime pascuntur. Piæ Sodalitates, vel antiquitate, vel iniuria collapsæ, ad pristinum erectæ decus, & melioribus legibus temperatæ. Inuesti optimi mores, ac ritus Ecclesiæ Orthodoxæ, illi præsertim, qui ad Eucharistiæ venerationem pertinent.

---

**COLLEGIVM COMEN-  
SE, MONTIS REGALIS, CRE-  
MONENSE, ET VER-  
CELLENSE.**

**D**VODECIM circiter Socij in hoc Collegio, cum vrbe nostri amantissima cerrant officijs. Nullus in ea est angulus, in quo non illorum ad salutem gentis desudet industria. In gymnasijs discipulos habemus non ingeniosos tantum, sed  
pios

pios. Aliqui enim in varias religiosas Familias nomen dederunt; alij auidissime Societatē expetunt; Audite quatuordecim muliebrium Cœnobiorum extraordinariæ confessiones, effectumque, vt in vno illorum cunctæ moniales propria in commune conferrent. Vulgariū hominum congregatio dudum instituta, ex quo Romanę primariæ est insita, fructus tulit solito vberiores. Quantū ex asceticis B. P. Ignatij Meditationibus nonnulli profecerint, vita in melius mutata testantur. Accessit ad Collegij bona Villa cū prædiolo, vnius è Nostris per opportunum donū: Desiderius Obricotus domesticorū operum adiutor, pietate, demissione, ac precationis studio, dum vixit, insignis, hoc eodem anno moriens magnum, sui nobis desiderium reliquit.

CONSTITUIT hoc anno Collegium Montis Regalis tredecim Socijs, sacerdotibus quinque, Magistris tribus, Coadiutoribus quinque. Numerum æquavit labor. Quinque diuersis in oppidis quadragenarij ieiunij diebus concionati, iacti seminis segetem messuerunt non pœnitendam, ille præsertim, qui in ipsa vrbe dixit. Nobilis vir, concione dimissa tetrica oris, ac verborum asperitate pellicem suas sibi res haberi iussit. Fœnerator, à templo recta Episcopium petiit, vbi pugione, gladio, genibusque positus, cum Episcopo de animi sui salute agere cœpit; cuius deinde præscriptum, in male partis reddendis sequutus est. Alius concionator, integrum pagum perpulit, vt supplicatione ad B. Virginis miraculis celeberrimum templum indicta, ibi se cœlesti pane reficeret. Antiquissimi incendij, quod inter Guelfos, ac Ghibellinos tota Europa defæuijt, miserandas reliquias hac in vrbe refouet ciuium

uium paucitas, Nobilitas, otium, cœli acrimonia, ac denique soli opportunitas, ex quo in vicinas finitimorum Principum regiones, breuissimus post facinora accessus, impunitatem pollicetur. Fauillæ igitur (vt etiam alias euenit) doloso cineri suppositæ, hoc anno recalescentes, periculosam inflammationem minabantur. Armati enim hominum globi, igneis notis arma conspersi, noctu per urbem inimicos mactaturi concursabant: his ferrum nostrorum hortatus excussit. Tria homicidia iam parata, ne erumperent, impedita. Annuntiata Virginis sacro die, rixa erat in foro non ludicra. fistulis enim ferreis res gerebatur. Alumnus quidam eius Sodalitatis, quæ salutata ab Angelo Virgini dicata est, cum turbam è fenestra intueretur, filium suum animaduertit vnum esse è numero præliantium, paternaque charitate stimulante, illico scelopum arripit caro pignori opem laturus: sed paulo post abijcit, indignum apud se statuens, si qua die sacram synaxim acceperat, dexteram tam seuo tormento armaret. Respondit cœlum hominis pietati, filiumque inter plumbeam glandem, à velitante vndique morte, ac vulneribus defendit. Donati Collegio trecenti Philippi, ad fabricam ædiculæ pro Eucharistia seruanda.

C R E M O N A (vbi quatuordecim Socij agunt) nihil misit, quod annalibus infereretur, nisi conaciones cum approbatione, & fructu habitas, aucta gymnasia nobilitate auditorum, salubriter excultos B. P. Ignatij libello sacris ordinibus initiandos, templi fabricam promotam, Doctrinæ Christianæ tradendæ vsum tota vrbe amplificatum, & optimis fundamentis stabilitum.

D E

De Vercellensi Collegio nihil occurrit dignum descriptione.

DOMVS PROBATIONIS ARONENSIS.

**R**ECENSUIT hoc anno domus Aronensis quinquaginta quinque circiter capita, Tyronum fere omnia, qui in solidarum virtutum progressu veteranos æmulantur. Vnus de eorum numero Societatem ingrediens, scalarum, quas primum ascendit, & cubiculi, quo in prima probatione vsus est, sibi speciem per visum multo ante obiectam affirmavit, iam tum hominem ad domicilium illud numine inuitante. Fratres duos, qui profanis odiis dissidentes, annum & amplius, mutuo congressu, templi aditu, ac Sacramentis abstinerant, Nouitius noster pacauit. A paupere sacerdote, iniquus portitor consueto maius nauulum exigebat. Pater vnus è Societate, qui lacum eodem lintre traiecerat, placide admonet durum illum exactorem, ne sacerdotem iniuste torqueat; esse Deum seuerum vindicem iniuriarum, quæ facris viris inferuntur. Ille vehementius instare, furere, vociferari. Ecce tamen dum adhuc bacchatur, tanquam grauis alicuius venti impulsu, in lacum deturbatur: & ne casui casus adscribi posset, semel ab undis extractus iterum, atque iterum eadem ratione submersus est. Imo tertia vice duo nauigia sponte inuicem adhæserunt, quasi emergenti aditum negatura. Tandem multis opitulantibus enatauit; vt suo malo domitus, disceret superstes reuereri Sacerdotes. Vnus ab inimico in-

ferenda cæde iam parata deterritus. Multi annosque improbitatis à veterno per sacramenta fanati.

R E S I D E N T I A A L E X -  
A N D R I N A , P A P I E N S I S ,  
E T B A S T I E N S I S .

**T**R E S Sacerdotes Alexandria commorantes verbo Dei & Sacramentis ministrandis, ceterisque Societatis nostræ munijs obeundis delassantur. Sacerdotalia indumenta, quæ octoginta vno aureis nummis æstimantur, voti reus sacello nostro dicauit. Puellam nobilem iam plures annos confessariis nostris vtentem, decorus adulescens adamabat. Is clam in puellæ cubiculum irrepsit, seque in eius lecto, quasi in insidijs collocauit. Stata hora innocens, & inscia Virgo cubitum pergit; inuenis quem minime putabat.

*Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem,  
Pressit humi nitens, trepidusq; repente refugit.*

S E D quid in tam difficili rerum articulo iu-uencula consilij caperet? vocem continuit, ne familiaribus suspicionem iniiceret, aut adulescenti periculum crearet, aut immeritam notam suæ pudicitiaæ aspergeret. Ad cælum igitur oculis, manibusque conuersis, voto quodam se obstringit B. Virgini, vt ab iniuria liberaretur. Mirum dictu! Amasius ille tam cupidus, tam promptus, non modo expetito corpori non illulit, sed torpore quodam cælitus immisso relanguit. Admotus igni refixit, qui procul arserat, quæsitisque per summam industriam, & periculum furtis, quæ manu propemodum tenebat, abstinuit. Quid plura?  
iacuit

iacuit iuuenis tota nocte illo in loco, & albente cœlo, secreta sibi fuga consuluit: puella orans noctem traduxit infomnem, eamque cubiculum illud tam castam reddidit, quam acceperat.

TRES, quatuorue Sacerdotes Papiæ, ijs omnibus sunt functi muneribus, quæ iusta domus exercet. Institutum Sodalitium B. Virgini Annuntiatae, & Romano annexum. Fabricius Berzius primarius eques Hierosolymitanus, vt merita in nos sua moriens cumularet, duo Philipporum millia huic Residentiæ legauit. Prioribus ædibus relictis, nouæ coemptæ laxiores, præcipuo & saluberrimo vrbis loco: has futuro Collegio, si quando futurum erit, destinauimus, in quod totius vrbis vota conspirant.

SEPTEM Basiæ resident focij, Sacerdotes tres, Præceptores duo, totidemque Coadiutores. Ferros insulorum mollire ritus, & ad pietatem inflectere præcipua cura fuit. Concionator per quadragesimam plurimos ad vitam retextam confessione expiandam impulit. Primarij templi, & sacri Odæi disciplinam restituit, & quotidiana elemosynarum arrogatione (quæ prius bis tantum in hebdomada colligebantur) multorum inopiam subleuauit. Nunquam Corsos tam frequentes concioni interfuisse, quam illo dicente, senes affirmabant: nec tantam Corsorum multitudinem in vnum collectâ à se quisquâ visam esse meminerat, quam cum sex elegantes thecas Roma acceptas certarum optimarumq; reliquiarum maiestate conspicuas, in nostro sacello primo visendas exposuimus. Vidisses non locum ipsum modo, sed ingentem ferocium hominum cœtum horrore tranquillo, & pauore venerabili perfusum.

Tres

Tres Congregationes institutę, pro tribus hominũ generibus. Prima est discipulorum; altera nauarum, tertia honestorum virorum, quibus, & sacramentorum frequentia curę, & misericordię in miseris exercendę munus incumbit. Catechesis, quę primo insuetis molesta erat, modo pronis auribus, & magno auditur concursu. Mos est Corsis ab antiquo superstitionum fonte deriuatus, pęficac ad lamentandam propinquorum mortem adhibere. Comitantur hęc funus, & cum ingenti vllulatu, ac lacrymis, os vnguibus carpunt, crinem vllunt, pectusque pugnis contundunt. Bastienses pueri stato tempore, collibus turmatim infessis, hinc, atq; inde in aduersam partę saxeam procellam emitebant. Pueris viri succedebant, ludo satis amaro. Vterque abusus Bastię nostrorum opera sublatus. Episcopus diocęsim lustraturus, nostrũ sacerdotem in partem itineris, & consiliorum vocauit. Hic loca omnia concionabundus percurrit; dies, ac noctes non modo in pagis, sed in mediis campis confessiones exceptit, & in ijs generales plures, cum ingenti cuiusque ordinis, etiam clericalis emolumento. Eminent in Corsis minax animi, ac frontis toruitas: sed Patris illius vel priuatis, vel publicis sermonibus ita deliniebantur, vt summa fiducia, ac mansuetudine, ei pectora aperirent, ad eiusque se nutum fingerent. Multi igitur in gratiam cum inimicis redierunt, male parta restituerunt multi. Aegri, & inualidi ex antiquo, & laudabili instituto, piam aliquam precationem descriptam à sacerdotibus petunt. Nostri, innumeris tale quid flagitantibus, formulam miserunt eius precationis, quę à sacerdote sacrificante pro infirmis recitatur; his verbis subscriptis,

Beate

Beate Pater Ignati ora pro eo, vel ea. Renuntiatum deinde est, cœlestis huius medicamenti efficacia conualuisse plures morbosos, aut membris captos, quosdam repente, serius alios, nonnullos etiam salute iam desperata. Sed in hæc diligentius inquirere nondum vacauit. Domus nostra Corsicæ totius oraculum iure dici potest. Huc undique vel ab Episcopis, & Parochis missi, vel sua sponte homines confluunt, Pœnitentiæ sacramentum, & consilium, & dubiorum casuum solutionem accepturi. Societatis nomen apud hanc gentem verendum.



## P R O V I N C I A V E N E T A.

**H** A B V I T hæc Prouincia in domiciliis sexdecim, Socios centum quadraginta quatuor, e quibus Sacerdotes centum sexaginta, Magistri non sacerdotes viginti septem, Studiosi sexaginta, Coadiutores temporales centum viginti duo, Nouitij septuaginta quinque. Domus Professorum vna. Collegia vndecim. Residentiæ tres: totidem Missiones. In Domo Professorum Veneta quadraginta duo. Patauij centum decem & septem, quorû Nouitij septuaginta quinque. Parmæ quinquaginta quatuor. Brixia triginta. Bononiæ triginta tres. Ferrariæ viginti. Placentiæ viginti quatuor. Mutinæ quindecim. Vno minus Foroliuij. Nouellariæ triginta duo. Veronæ vndecim. Mantuæ viginti. In Residentia Cretenfi  
sex.